

*Solutio philosophica Casus cuiusdam rarioris à Cl. Domino Doctore Briggs, in Actis Philosophicis Numb. 159. nuper editi, de Juvene vespere cæcutiente.*

**V**ulgo notum, & à nemine ( uti credo ) oppugnatum, quod interdiu quamplurimi vapores, à sole rarefacti, attolluntur, qui deficiente calore, post ejus occasum, à frigore densati, descendunt. quodque inde aer præcipue prope terram fit spissior. Ad eundem modum forsan *humores* in oculo dicti juvenis afficiantur ; uti & vespere ab istis vaporibus aliquantulum spissiores vel magis turbidi facti sint : sicut urinis sæpe accidit, quæ protut frigori vel calori admoventur, turbantur vel clarescunt : Dum sol agit supra Horizontem, vi caloris sui , amotis vaporibus densatis, clarescunt oculorum humores , at cum Horizontem subit, ( à causa contraria ) humores turbantur, atque inde recta illa, quæ requiritur, dispositio oculorum immutatur : Nam ex spissitudine illa humorum, Radii retusi vel refracti, ad *retinam* vix pertingunt ; vel si pertingant, agunt cum impulsione nimis debili.

Huic Hypothesi apte conveniunt omnia, quæ enumerauntur phænomena ; primo enim semper à cunabulis prædicto juveni contigit hic affectus sine defluxione, vel alio aliquo oculorum morbo ; cuius causa est eadem peculiaris innata humorum diathesis , qui post solis occasum à vaporibus , ut supra, simili modo afficiebantur. Secundo cæcitas hæc gradatim obrepshit, à vaporibus post solis occasum gradatim descendantibus. Tertio ab influxu Lunæ nulla immutatio , quoniam ascensus & descensus halituum de influxu istius planetæ non pendent. Quarto suspicor intimos humores [ nimirum *Crystallinum* & *Vitreum* ] adeo esse viscosos, ut ( clarescente *Aqueo*, tunica-

tunicaque *Cornea*) nequaquam dissipantur. Quinto cæcitas nec major nec minor vel in hyeme vel æstate; ratio videtur, quoniam licet dicti vapores non semper pari copia descendunt, tamen semper tanta copia ut eundem effectum producere possint: sicut aliquando vidi aquas quasdam *acidulas* in vicinia nostra foliis quibusdam quer-  
cus contusis & infusis purpurascentes, at color à fortiori infusione non intendebatur: Ita vespere semper satis vaporum descendantium ad effectum producendum; at si plus satis, nulla immutatio.

Alius aliter fentit, quod cum nulla in prædicti juvenis oculis observetur *Nubecula* aut obfuscatio, rarioris hu-  
jusce ~~cauositatis~~ ratio probabilior petenda est à dispositione Nervi optici, cuius tubuli influxu solari repleti, *species* (quas vocant *visibiles*) facillime admittant; eodem au-  
tem destituti, flaccescunt; & ad visionem inepti reddun-  
tur.